

quidem Nestorius, sed non sine gravi Cyrilli ac-
cusatione. Hinc contentio origo, quæ inter
illos duarum majorum Orientis Sedium Alexan-
drinæ & Constantinopolitanæ Antistites postea
exarsit. Nestorius animum Cælestini Papæ, ad
quem ipsius scripta delata fuerant, quique illo-
rum lectione fuerat maxime offensus, occupare
tentavit, & ad ipsum dedit Epistolam. Cyrillus
etiam Alexandrinus Episcopus per Possidonium
Diaconum literas ad Cælestinum Papam scripsit,
ut illum de sparsis a Nestorio erroribus certior
redderet, quibus acceptis, Synodum Romæ habuit
Summus Pontifex an. ccccxxx. in qua primo da-
mnatus est Nestorius, iussuque, ut depositionis
pœna mulcetur, si intra decimum a denuncia-
tione diem non respiceret, & Catholicæ Fidei
confessioni non subscriberet. Secundo, restituti
sunt in Ecclesiæ communionem hi, qui propter
fidem a Nestorio ejeti fuerant. Tertio, senten-
tiæ contra Nestorium exequendæ Cyrillo Alexan-
drino Episcopo munus demandatum est. Deni-
que, septem a Summo Pontifice Cælestino scri-
ptæ sunt Epistolæ, scilicet Cyrillo Episcopo Alex-
andrino ut Sedis Apostolicæ vice hoc in negotio
fungeretur; Nestorio, ut, abjecto errore, ad pœ-
nitentiam rediret, Clero Constantinopolitano, ut
constans in avira fide permaneret, Joanni Antio-
cheno, Rufo Thessalonicensi, Juvenali Hierosoly-
mitano, Flavio Philippensi, ut strenue fidei cau-
sam agerent.

Cyrillus Alexandrinus Episcopus, receptis Cæle-
stini Papæ literis, Concilium Alexandriæ coegit,
& ad Nestorium misit Epistolam Synodicam, in
qua tria continebantur: videlicet Fidei expositio,
denunciatio Sententiæ a Cælestino Papa latæ, &
duodecim Anathematismi, quibus subscribere de-
bebat Nestorius. Quatuor Episcopi a Synodo Alex-
andrina ad Nestorium missi Constantinopolim
appulerunt, literasque Apostolicas Cælestini, & Syn-
odicas Cyrilli ejus Vicarii dederunt Nestorio,
quas, ubi legisset versipellis ille Hæresiarcha, con-
fessum intellexit, quanta capiti suo impenderet
procella, ad quam declinandam petiit a Theodo-
sio juniore Imperatore ut convocaretur Concilium
Generale. Quod revera indictum fuit, & ex uni-
versis Diocæsi-bus Episcopos ad diem Pentecostes
anni ccccxxxi. Imperator Theodosius Ephesum
vocavit, missis ad majorum Sedium Antistites,
Cælestinum Romanæ, Cyrillum Alexandrinæ, Jo-
annem Antiochenæ, Juvenalem Hierosolymitanæ,
Rufum Thessalonicensem, Capreolum Carthaginen-
sis, literis. In hac Synodo generali Ephesina da-
mnatus est Nestorius, & sua Sede dejectus. Sed de
his, quæ gesta sunt in hac Synodo generali Ephe-
sina, sicut & de Conciliabulo, quod Joannes An-
tiochenus, qui Nestorii personæ, non tamen do-
ctrinæ plus æquo favebat, una cum suis Episcopis
habuit, pacemque universæ Ecclesiæ perturbavit,
commodius diseremus in quarto Colloquio, in quo
de Conciliis, quæ in quinto Ecclesiæ sæculo fue-
runt convocata, sermonem instituemus.

D. Quid continebant, & quibus verbis erant
concepti duodecim illi Anathematismi, quos Cy-
rillus misit ad Nestorium ut eis subscriberet?

M. Anathematismus primus his erat verbis
conceptus: *Si quis Emmanuelem Verbum Deum,
& ob id Sacram Virginem Theotocon esse non con-
fiteatur (genuit enim illa incarnacum Dei Verbum
secundum Carnem) anathema sit.*

Anathematismus secundus: *Si qui sunt, qui Dei
Patris Verbum Carni secundum Hypostasim unitum,
& unum tantum una cum sua Carne Christum es-
se, eundem nimirum Deum simul & hominem non
confiteantur, anathema sint.*

Anathematismus tertius: *Si quis post unionem
Hypostasim in Christo distinguit, eaque dumtaxat
conjunctione eandem inter se necit, quæ est secun-
dum dignitatem, vel auctoritatem, vel potestatem,
& non ea potius, quæ est secundum naturalem unio-
nem, anathema sit.*

Anathematismus quartus: *Si quis duabus Perso-
nis, vel Hypostasibus eas voces attribuit, quæ in
Evangelicis & Apostolicis Scripturis passim occur-
runt, quæve a Sanctis de Christo, aut ab ipso
Christo de ipso dictæ sunt, & alias quidem homi-
ni seorsum a Dei Verbo considerato adscribit, alias
vero tanquam in Divinam Majestatem convenientes
soli Verbo, quod ex Deo Patre est, accommodat,
anathema sit.*

Anathematismus quintus: *Si quis dicere audeat,
Christum non esse verum Deum, sed hominem tan-
tum Deiferum, utpote unum naturalemque Filium,
quatenus nimirum Verbum Caro factum, Carni &
Sanguini perinde ac nos communicavit, anathema sit.*

Anathematismus sextus: *Si quis Dei Patris Ver-
bum, Christi Deum, vel Dominum dixerit, neque
post Verbum secundum Scripturas incarnatum, unum
eundemque Deum simul & Hominem esse confessus
fuerit, anathema sit.*

Anathematismus septimus: *Si quis Jesum Chri-
stum, Hominem tantum, Divini Verbi vi actum
esse dixerit, aut illustrem illum Unigeniti gloriam
ipsi homini, veluti alteri cuiquam ab ipso Verbo
advenisse commentus fuerit, anathema sit.*

Anathematismus octavus: *Si quis Hominem as-
sumptum una cum ipso Dei Verbo adorandum, una
cum illo glorificandum, una cum illo tanquam al-
terum in altero existentem Deum appellandum esse,
dicere ausus fuerit (hunc enim intellectum Particu-
la, cum, adjecta perpetuo ac necessario asserre con-
suevit) & non una potius adoratione Emmanuelem
honorat, unamque hactenus illi glorificationem at-
tribuit, quatenus Verbum factum est Caro, anathe-
ma sit.*

Anathematismus nonus: *Si quis unum Domi-
num nostrum Jesum Christum a Spiritu Sancto tan-
quam a virtute ab se alienâ glorificatum dixerit,
efficaciamque, quæ contra immundos Spiritus uter-
tur, & divina inter homines miracula operaretur,
ab ipso eodem accepisse predicaverit, & non pro-
prium, naturalemque illius esse Spiritum, per quem
divina signa edidit, anathema sit.*

Anathematismus decimus: *Christum Jesum nos-
træ Confessionis Pontificem & Apostolum extitisse,
eundemque semetipsum pro nobis in odorem suavi-
tatis Deo Patri obtulisse, divina Scriptura com-
memorat. Si quis ergo dixerit, Pontificem &
Apostolum nostrum non esse ipsum Dei Verbum
postea*

postea quam Caro & homo nobis similis factum
est: Sed hominem illum, qui ex muliere natus est,
quasi alterum quempiam ab ipsa diversum: aut si
quis Christum pro se ipso quoque, & non solum
pro nobis Sacrificium obrulisse affirmaverit (neque
enim is oblatione opus habebat, qui nullum peccat-
um commiserat) anathema sit.

Anathematismus undecimus: *Si quis ipsam Do-
mini Carnem vivificam, ipsiusque Verbi, quod
ex parte est: propriam esse negaverit, sed alterius
eiuspiam ipsi verbo secundum dignitatem tantum
conjecti, aut divinam tantum inhabitationem sor-
titi esse dixerit: neque vere rursus vivificam, ut
modo meminimus, eo quod Verbi, quod omnia vi-
vificat, facta sit propria, confessus fuerit, ana-
thema sit.*

Anathematismus duodecimus: *Si quis inficiatur
Dei Verbum secundum Carnem passum, secundum
Carnem crucifixum, mortemque secundum Carnem
gustasse, & primogenitum tandem ex mortuis su-
ctum esse, quatenus videlicet vita est, & vivifi-
cum, ut Deus, anathema sit.*

Hi sunt celeberrimi duodecim S. Cyrilli Anathe-
matismi ab universâ Catholica Ecclesia approba-
ti, quibus tamen subscribere nunquam voluit Nes-
torius. Unde in pœnam suæ pervicaciæ cœpit in
hoc mundo æternum impiorum experiri supplicium.
Nam Theodosii junioris Imperatoris ipsi
olim nimum propitii Edicto in exilium fuit de-
portatus in Oasim, ubi, iusto Dei judicio, exesa
vermibus lingua, qua in Christum, & in Deiparam
Virginem Mariam tam horrendas blasphemias evo-
muerat, ex hac vita ad æterna supplicia migra-
vit. In Nestorii Hæresim fortius & animosius di-
micans Eutyches Presbyter Archimandrita, seu Ab-
bas cujusdam Monasterii Constantinopolitani in
extremum deflexit errorem, novamque Hæresim
conflavit, cujus Sectarii dicti sunt Eutychiani.

D. Quem errorem docuit ille Eutyches, & quem
exitum habuit inventa ab illo Hæresis?

M. Eutyches, qui, ut mox diximus, Nestoria-
næ profigandæ Hæresi haud mediocrem operam
navaverat, tandem anno ccccxlvi. in errorem e
diametro oppositum impedit, & utramque natu-
ram, Divinam scilicet, & Humanam in Chri-
sto post Incarnationem promiscue confundens,
unicam in Christo admisit naturam, seu Divi-
nam, a qua dicebat fuisse absorptum quicquid in
Christo apparebat humanum. Ex hoc Eutyches
errore consequebatur, vel naturam divinam
esse in se ipsa mutationibus, doloribus, morti-
que obnoxiam; vel ea, quæ Christus pro nobis
passus est, phantastica fuisse, mera Commenta &
ludibria. Eusebius Dorilæi Episcopus Eutychetem
sapius de hoc abjiciendo errore admonuit, sed
cum in eo retinendo obstinate persisteret Euty-
ches, eum apud Flavianum Constantinopolita-
num Episcopum accusavit. Hanc accusationem
agre admodum tulit Eutyches, & Sancto Leoni
Pontifici Romano conquestus est, quod Nestoria-
na Hæresis quorundam vursum studiis pullularet.
Laudavit ejus zelum S. Leo, ac benigne ad il-
lum rescripsit anno ccccxlx. interim Flavianus
Constantinopolitanus Episcopus, apud quem fue-
rat accusatus Eutyches anno ccccxlvi. Synodum
Constantinopoli coegit ad dirimendam contro-
versiam ortam inter Florentium Sardium Antisti-
tem Lydiæ Metropolitanum, & duos Provinciarum
suarum Episcopos. Qua finita controversia, actum
est in hac Synodo de Eutychete, cui Synodus
diem dixit ut coram se sisteret, suæque doctrinæ
rationem redderet. Sed Eutyches diu tergiversatus
venire ad Synodum, tandem comparuit, palam-
que declaravit, se quidem in Christo ante Unio-
nem, seu Incarnationem Verbi, duas agnoscere
naturas, sed post unionem Verbi, unicam in
Christo naturam, seu divinam admittit. Hunc
a se propalatum errorem, jubentibus licet Episco-
pis, cum nollet abjicere Eutyches, nec anathe-
ma dicere his, qui post Incarnationem in Chri-
sto unicam adstruunt naturam, seu divinam, da-
mnatus est, & Presbyteratu, atque Monasterii
administratione dejectus. Ab hac Synodi senten-
tia Eutyches ad Leonem Romanum Pontificem
appellavit, dictitans, se ab Episcoporum cum
Hæresiarcha Nestorio sententiarum factione fuisse
damnatum, & libellum appellationis ad Sedem
Apostolicam, quem obtulerat, non fuisse susce-
ptum. At Eutycheti larvam detraxit Flavianus
Episcopus Constantinopolitanus in Epistola ad Leo-
nem Romanum Pontificem, in qua illum totius
negotii veritatem edocet, omnesque artes & frau-
des Eutychetis detegit. Quare S. Leo Papa ad pro-
figandum Eutychetis errorem scripsit ad Flavia-
num illam celebratam adeo Epistolam, quæ pos-
tea in Concilio Chalcedonensi tantopere fuit lau-
data, a Patribus approbata, & ad fidem Ecclesiæ
de Incarnatione Christi explicandum retenta, ut
per eam, tanquam per Lydium lapidem, sincera
doctrina ab adulterina discerneretur.

Dum sic S. Leo, & Flavianus bono Ecclesiæ
confulerent, Eutyches libellos supplices porrexit
Theodosio juniore Imperatori, in quibus conque-
rebatur, Acta Synodi Constantinopolitanæ anno
ccccxlvi. habitæ diminuta, falsataque fuisse. Le-
ctis illis libellis, Theodosius Imperator Chrysaphii
Eunuchi, quem de sacro fonte susceperat Euty-
ches, sermonibus deceptus retractari Acta Con-
ciliis iussit, & expendere an quid in illis omis-
sum, aut depravatum reperiretur. Anno itaque ccccxlx.
juxta Edictum Theodosii, habita est secunda Syn-
odus Constantinopolitana, in qua prioris Synodi
Acta ad examen revocata sunt, nihilque deprava-
tum, aut immutatum repertum est, sed potius
omnia, uti gesta erant, ita scripta esse omnes
Episcopi approbarunt. Sic spe sua delusus Euty-
ches, imploravit patrocinium amici sui Chrysa-
phii cubicularii Imperatoris, eoque adnitente, ob-
tinuit ut Concilium Œcumenicum Ephesi cogere-
tur, cui præseter turpissimus Dioscorus Episcopus
Alexandrinus, infensissimus Flaviani inimicus.
Hæc Ephesina Synodus, quæ cœpit die viii.
Mensis Augusti anno ccccxlx. merito appellatur
Synodus predatoria, seu latrocinium Ephesinum.
In ea quippe tumultuaria Synodo Eutyches fuit
innocens declaratus & ab excommunicationis
vinculo solutus. Legati, quos ad illam Syno-
dum miserat S. Leo Papa, pessime habitus fuit.

Flavianus Constantinopolitanus Episcopus Catholicae Fidei vindex damnatus est cum *Eusebio* Dorilaei Episcopo, eandemque damnationis sententiam subierunt Episcopi *Ibas* Edessenus, *Theodoretus* Cyrensis, & *Domnus* Antiochenus. Quin, quod maximam sapit crudelitatem, *Flavianus*, ob appellationem interpositam ad Sedem Apostolicam, vinculis constrictus est, & plagis adeo contusus, ut animam exhalaret. Quae omnia, ubi comperta habuisset *S. Leo* Papa, rescidit ac penitus damnavit in Synodo Romae habita omnia quae gesta fuerant in illo latrocinio Ephesino, petiitque a *Theodosio* Imperatore ut Concilium Generale in Italia celebraretur. Sed adduci haud potuit *Theodosius*, ut res semel adversus *Flavianum* iudicatas refricari sineret; immo res gestas in latrocinio Ephesino lege lata firmavit. At mortuo anno ccccl. *Theodosio* juniore Imperatore, *Marcianus*, qui ei in Imperii administratione successit, voluntati Summi Pontificis obsecundare volens, Concilium Generale Nicæ in Bythinia celebrandum convocavit. Sed quia *Artilla* Hunnorum Rex anno ccccxi. in Gallias visus Orientem versus tendebat, *Marcianus* Imperator, ne Constantinopolim desereret, Concilium Nicæa transtulit Chalcedonem, illucque omnes Episcopos suis literis accivit. Cæpta est hæc Synodus Generalis Chalcedonensis anno ccccxi. & in ea primo definitum est contra *Eutychem*: Unum eundemque Christum, Filium, Dominum, Unigenitum ex duabus naturis inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum. Secundo, damnata est prædicatoria Synodus Ephesina cum illius Præside *Dioscuro* Episcopo Alexandrino, qui etiam depositus est. Tertio, *Theodoretus*, & *Ibas* Episcopi fuerunt absoluti. Sed hæc de latrocinio Ephesino, & de Synodo Chalcedonensi obiter dicta sint, de his quippe copiosius dicturi sumus in quarto Colloquio, in quo data opera agemus de Conciliis, quæ habita sunt in quinto Ecclesie sæculo.

D. Hæ sunt igitur omnes Hæreses, quæ grassatae sunt in quinto Ecclesie sæculo?

M. Præter illas, quas hæcenus recensuimus, Hæreses, tres aliæ, videlicet *Helvidii*, *Joviniani*, & *Vigilantii*, quintum Ecclesie sæculum infestant, duæ tamen priores *Helvidii*, & *Joviniani* sub finem quarti sæculi pullulare ceperunt. In primis *Helvidius* Romæ infrunito ore asserere aulus est, Mariam Dei-param suæ post partum virginitatis jacturam fecisse, & filios ex carnali cum *Josepho* congressu procreasse. Insuper, virginitatem & continentiam aversabatur, & nuptias impensius extollebat. *Helvidium* moribus, ingenio, & natalibus abjectissimum fuisse testatur *S. Hieronymus* in libro, quem ad illius errores confutandos edidit, & in quo sic eum alloquitur: *Quis te, oro, ante hanc blasphemiam noverat? quis dispondii supputabat? consecutus es, quod volebas; nobilis factus es in scelere. Ego ipse, qui contra te scribo, cum in eadem tecum urbe conssiam, albus, ut ajunt, aterve sis, nescio.*

Jovinianus Monachus virginitatem, & conti-

nentiam non secus ac *Helvidius* impugnavit, meritum in hac vita, sicut & præmiorum, quæ Deus post hanc vitam iustis retribuitur est, inæqualitatem negavit; ad crapulam & libidinem homines excitavit his verbis, quæ *S. Hieronymus* refert in libris, quos contra illum scripsit: *raro jejunate, crebrius nubite; non enim potestis implere opera nuptiarum, nisi mulceam & carnes, & nucleum sumpseritis. Viribus opus est ad libidinem. Cito caro consumpta marcescit. Nolite timere fornicationem. Qui semel in Christo baptizatus est, cadere non potest; habet enim ad despumandas libidines solatia nuptiarum.* Damnatus est *Jovinianus* in Synodo Mediolanensi, & postea a *Siricio* Papa anno cccxc. *S. Augustinus* contra illum edidit librum de bono conjugali, eumque tanquam barbarum, stupidum & in sermonibus suis confusum perstringit *S. Hieronymus* sic loquens lib. i. adversus *Jovinianum*: quos cum legissem, ideo *Joviniani* libros, & omnino non intelligerem, cepti revolvere crebrius non verba modo atque sententias, sed singulas penes syllabas, discutere, volens prius scire quid diceret, & sic vel probare, vel redarguere, quod dixisset. Verum, scriptorum tanta barbaries est, & tantis vitiis spurcissimis sermo confusus, ut ne quid loquatur, nec quibus argumentis velit probare, quod loquitur, potuerim intelligere &c. Denique, anno ccccxi. *Honorius* Imperator edidit Mediolani legem 53. Cod. Theod. de Hæreticis in *Jovinianum*, qui jam Mediolanensi Urbe anno cccxc. profugus ad Diocesim Romanæ Urbis se se receperat, ibidem que extra muros ejusdem Urbis conventus agebat; iussitque Imperator, *Jovinianum* Hæreticum in Insulam *Boam* in Dalmatia sitam, plumbatis prius casum, deportari, omnesque illius ministros, ac erroris participes in alias pariter Insulas inter se diversos ablegari.

Vigilantius natione Gallus, ut *Petrus de Marca* in Opusculo posthumo, Dissertatione de patria *Vigilantii* recte demonstrat, non vero *Calaguritanus* in Hispania, ut visum est Cardinali *Baronio*, Hæresim suam, quam sub Sanctimoniarum larva diu occultaverat, cepit evomere anno ccccvi. eamque late sparsit per Galliam, quæ, teste *S. Hieronymo* in libro, quem contra *Vigilantium* lucubravit, errorum monstra hæcenus non habuerat: *Sola Gallia*, inquit *S. Hieronymus*, monstra non habuit, sed viris semper fortissimis, & eloquentissimis abundavit. Exortus est subito *Vigilantius*, seu *verius Dormitantius*, qui immundo spiritu pugnat contra *Christi* spiritum. *Vigilantius* multos profudit errores, quos nostri temporis Hæretici *Calvinista*, & *Lutherani* recoxerunt. Impugnavit quippe sacrarum Reliquiarum cultum, invocationem Sanctorum, eorumque miracula. Sugillavit vigiliis, & pernoctationes in Basilicis Martyrum a fidelibus celebrari solitas. Jejunia, Clericorum cœlibatum, Virginitatem, & Monasticum Ordinem improbabat, & ad suos tutandos errores librum quartum *Esdrae* Apocryphum velut Canonikum laudabat. Hos *Vigilantii* errores invictissimis argumentis prostravit *S. Hieronymus*, eorumque auctorem *Vigilantium* appellat *Dormitantium*, *Damoniacum*, *Cauponem Calaguritanum*, *Muum* *Quin-*

Quintianum, virum libidini fræna permittentem, *Furiosum*, *Samaritanum* & *Judaum*, *Sacrilegum*, *Magistrum Cerebrosolum*, *Inselicem hominem*, & *omni lacrymarum fonte plangendum*. Has tamen in speciem acriores oburgationes *S. Hieronymo* non ira expressit, sed zelus pro Dei gloria, & fidei integritate iustissime accensus. Unde ipsemet *S. Doctor* Epistola 53. ad *Riparium* Presbyterum ait: *Fatebor tibi dolorem meum, sacrilegium tantum Vigilantii patienter audire non possum. Non est crudelitas pro Deo pietas.* (a)

(a) *Vigilantius* Presbyter natione Gallicanus erat, ut recte hic adnotatur, & Convenentis, quæ Provincia est Aquitanicæ tertia. Presbyteri dignitatem obtinuit. Principio quidem *S. Hieronymo*, quem *Vigilantius* in suo itinere Palæstino invisit, carus fuit, & laudatus, ut ex ejusdem *Hieronymi* Epistola 49. ad *S. Paulinum* Nolanum discimus. At vaser hæreticus e peregrinatione sua redux officii amici non paria rependit; nam calumnias per universam Galliam in illum sparsit tanquam nimis avidum legendi Opera *Origenis*, & *Origenianismi* fætorum; quod & scriptis libellis undique divulgavit. Nec intra hos fines stetit, nam haud diu post, non amico tantum, sed & universæ Ecclesiasticæ doctrinæ renunciavit, in hæresim lapsus, quam apud *Gravesoniam* hic legas. Credibile tamen est dein post refutatos errores ejus a *S. Hieronymo* respicisse, palamque errorem suum ejurasse, nam deserta Gallia, ac receptus intra Diocesim *Barchinonensem* Ecclesiam, ibi usque ad mortem rexit teste *Gennadio* de *Vir. Illust.* cap. 35.

D. Zelum *S. Hieronymi* in his refellendis Hæreticorum erroribus vehementissime laudo, eo potissimum nomine, quod nobis validissima suppeditavit arma ad expugnandos nostri temporis Hæreticos, qui omnes *Vigilantii* blasphemias exceperunt, easque etiamnum populis propinare, ac prædicare non desistunt.

COLLOQUIUM III.

In quo exhibetur series Episcoporum, qui in quinto Ecclesie sæculo præcipuas Sedes occuparunt.

M. Puto, te meminisse has esse præcipuas Ecclesie Sedes, Romanam, Alexandrinam, Antiochenam, Hierosolymitanam, & Constantinopolitanam. Cum igitur, nemine refragante, Sedes Romana cæteris tum dignitate, tum auctoritate & jurisdictione longe antecellat, necesse est, ut in primis exhibeamus seriem Episcoporum, qui in quinto Ecclesie sæculo Sedem Romanam tenuerunt.

Mortuo *Anastasio* Romano Pontifice die xiv. mensis Decembris anni cccci. vacavit Sedes Romana dies septem, & die vicesima prima mensis Decembris ejusdem anni festo *S. Thomæ* Apostoli sacra, *Innocentius* I. natione *Albanensis* creatus est Pontifex Romanus, seditque annos quindecim, menses duos, dies viginti, ac subinde vita fun-

ctus est die xii. mensis Martii anno ccccxvii. sicut invictis momentis contra *Baronium* evincit *Cl. Pagius* ad annum ccccxvii. Sub Pontificatu *Innocentii* I. Concilia Carthaginense, & Milevitanum contra Pelagianos in Africa celebrata sunt. Damnavit etiam idem Summus Pontifex Pelagium & Cælestium. Suscepit appellationem *S. Chrysostomi* Episcopi Constantinopolitani in Synodo ad *Quercum* inique damnati, & in ipsum male gesta auctoritate sua rescidit. Multas Epistolas Decretales scripsit, quarum præcipuæ, & ad faciendam Ecclesie disciplinam maxime necessariæ diriguntur ad *Decentium Eugubinum*, ad *Vitricium* Rothomagensem, ad *Exuperium* Tolosanum, & ad *Felicem* Nucernum. Nonnulli asserunt, *Innocentium* I. anno ccccvii. scripsisse Epistolam ad *Arcadium* Imperatorem, in qua anathemate percussit omnes persecutores *S. Chrysostomi*. At Epistolam illam supposititiam esse docent periti Critici, non solum quia hac in Epistola fermo fit de *Eudoxia* Augusta, quam tamen certissime constat supremum diem obiisse anno cccciv. hoc est triennio ante datam illam Epistolam; sed etiam quia illius Epistolæ *Innocentii* I. ad *Arcadium* nec *Palladius*, nec *Socrates*, nec *Theodoretus*, nec *Sozomenus*, nec *Zonaras* auctores Græci, nec aliqui ex Latinis mentionem fecerunt, sed primus dumtaxat *Georgius* Alexandrinus, qui septimo sæculo vixit, ejus meminerit, ex quo postea *Nicephorus* & *Glycas* Scriptores Græci eam hauserunt. Idem iudicium ferendum esse censent viri eruditi de binis ejusdem Imperatoris *Arcadii* ad *Innocentium* Papam Epistolis, quas refert *Glycas*, Scriptor nec antiquus, nec satis accuratus.

Post mortem *Innocentii* Papæ vacavit Sedes dies tantum vi. & *Zosimus* natione Græcus die xvii. mensis Martii anni ccccxvii. ordinatus est Romanus Pontifex. Sedit annum unum, menses novem, & dies novem, migravitque ad Deum die xxvi. Decembris anni ccccxviii. hic Summus Pontifex, ut in præcedenti Colloquio observavimus, errore facti deceptus Pelagium & Cælestium innocentes putavit, & pro ipsis scripsit ad Africanos Episcopos. Verum re maturius considerata, & accepta Episcoporum Africanorum relatione, Cælestium ad audientiam vocavit, eumque non comparentem una cum Pelagio damnavit. Epistolam suam *Trafforiam* contra Pelagianos scriptam ad Orbis Episcopos direxit, & ab *Honorio* Imperatore Rescriptum obtinuit, quo Pelagiani Romæ pellerentur. Denique, *Zosimus* Papa Ecclesie Arelatensis, in honorem *S. Trophimi* primi illius Antistitis, non solum Metropolitanicam dignitatem in Viennensi Provincia, & jus Ordinationum confirmavit, sed etiam in *Narbonensem* utramque, potestatem ipsi concessit amplissimam, vetuitque *Proculo* Massiliensi Episcopo, & *Hilario* *Narbonensi* Antistiti, ne ordinationes Episcoporum, absque Arelatensi Episcopi assensu facere præsumerent. Sed de hac lite Viennensem inter & Arelatensem Episcopum, de jure Ordinationum exorta, & in Synodo Taurinensi composita, iterum redibit sermo in sequenti Colloquio, in quo dis-